



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.2. Quanto ea res sit solatio, Crucifixum amanti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

Quo etiam modo, opinor, explicandum erit, quod in vita Venerabilis Matris Annæ à S. Bartholomæo, dicitur ei insinuatam esse divinitus: quotidianam vel minimam de Christi passione cogitationem sufficere ad salutem. Quòd nimirum piè credi possit speciali cura ac protectione adfuturus Salvator ei, qui ex devoto atque constanti in passionem eius affectu aliquantum temporis quotidie in ea attentè recogitanda posuerit.

Et simili aliquà interpretatione molliendum erit, quod exaggeratè dicit Innocentius III. in quadam ad Christum precatione: *Scimus quod quacunque die vel hora passionis tuæ memoriam habuerimus, salvi erimus.* *Prec. 2. de pass. Chr.*

§. 2.

Quanto ea res sit solatio Crucifixum amanti.

EX his autem apparet, quantum hinc solatium capere, aut quantam salutis suæ spem ac fiduciam concipere possint, pij amatores IESU crucifixi. Quibus utique non non temere offeratur Angelica illa vox ac consolatio: *No- Matt. 28. lite timere vos: scio enim quod IESUM qui crucifixus est, quaritis: quasi nempe abjecto sollicito & anxio timore, de sua salute potiùs confidere oporteat, eos qui IESUM Crucifixum piè quarant, qui dolorum ejus assiduè meminerint, qui in ejus vulneribus libenter habitent, qui denique in apertâ divini lateris cavernâ tutum perfugium atque asylum inveniant, ipso etiam Christo aliquando dicente S. Mechtildi: Quare timeas tu, quæ cor meum in pignus æterni fœderis, & in L. I. c. 25. domum refugij sempiternamq; habitationem accepisti? De quibus fortassis rursum aliquid, cùm exercitia fiduciz atque amoris proponemus.*

Audi interim in hoc argumento piè exultantem S. Bonaventuram: *Non erit, inquit, qui contra me militari audeat,* *P. I. sim. c. 7.*

M

fi

si Christi stigmatibus fuero consignatus. Vbiq; & semper habitabo in illis, ut sim quasi in castro securus ab omni impetu maligno. Et impossibile erit, quod si fuero bene in Christum crucifixum transformatus, quin sim illi conformis & cohares in regno; ubi illi sunt dilectissimi DEI, qui sunt crucifixi cum Christo. Non enim potest se DEVS negare, sanguine Christi perfuso. Hac & plura S. Bonaventura.

Sed facere non possum, quin hic ad extremum eruditi & pij è Societate nostra Scriptoris, P. Didaci de Avendano ea super re sententiam adscribam. Qui nempe in Epithalamio sacro, cum ad verba Pauli respiciens, docuisset, Christum pro nobis passum & tentatum per omnia, ejusq; crucem, esse thronum gratiæ, ita exinde ratiocinatur: *Ut mihi sit certum, inquit, neminem erga Christi passionem fiduciali ferventem affectu, inter reprobos numerandum.* Tum verò in hunc modum exclamat: *Gaudete felices, iterum dico, gaudete, quorum cordibus salutaris hæc affectio alitè & potenter incedit: quia nomina vestra scripta sunt in caelis. Utinam ego qui hæc scribo, inter vos, ultimo licet loco, merear computari! Hoc per passiones tuas peto, tentate per omnia Pontifex; ad thronum gratiæ fidenter accedo; extende virgam auream pietatis, virgam regni tui; & dirige me in veritate tua, & doce me; quia tu es DEVS Salvator meus. & te sustinui totà die. Sic ille.*

P. I. Tituli
n. 186

Heb. 4.

Ps. 24.

CAPVT XIV.

Ex passionis Christi pia gratiq; memoria fructus innumerabiles percipi.

Quemadmodum ipsa passio Salvatoris omnium nobis fons bonorum est; sive quæ ad vitam præsentem bene beateq; degendam, sive quæ ad futuræ æternæ felicitatem, pertinent; cum ea certum sit omnia nobis ex Domini JESU meritis